



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.57. Rachis Rex Monachus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](#)

Sæcul. VIII. rent, hominum frequētiam exosus re-  
A. C. 747. licto monte Soracte ad Montem Calli-  
num & Monasterium S. Benedicti se con-  
tulit, ubi juramento se adstrinxit, quod  
relicuum vitæ tempus ibidem persevera-  
re vellet, id est, votum stabilitatis secun-  
dum Regulam emisit. Igitur sub Petro-

*Chr. Cassin.* nace Abbate adhucdum superstite Ca-  
l. I. c. 7. rolomannus in rigidissima vitæ monasti-  
cæ Disciplina exercebatur, atque in cu-  
lina ministrasse (\*), greges ruri pavisse  
in horto laborasse dicitur.

### §. LVII.

#### *Rachis Rex, Monachus.*

Haud multò post tempore Rachis quo-  
que Rex Longobardorum in monte  
Cassino Monachum induit, quod ut ca-  
peret

(\*) Regino in Chronico præter alia de Caro-  
lomanno narrat: *accidit autem, ut, juxta quod*  
*mos est, ad coquinæ officium deputaretur. Quod*  
*cum libenter quidem faceret, sed in multis igno-*  
*ranter offenderet, coquus vino æstuans (Et ne scimus*  
*quod esset Carolomannus) ei alapam dedit, di-*  
*cens: ita te fratribus deservire oportet? cui ille*  
*nihil motus placido vultu respondit: indulget*  
*tibi Dominus, frater! Et Carolomannus! Com*  
*id tertio fieret, comes individuus, cui soli Ca-*  
*rolomannus notus erat, arripuit pilum unde pa-*  
*nis in olera patrum mittendus conterebatur, Et*  
*cum omni adnisi coquum percussit dicens: nec tibi*  
*Deus parcat, serve nequam! nec Carolomannus*  
*indulget!*

peret consilium, Zachariæ Papæ horta- Sæcul. VIII.  
 tus effecisse creditur. Quippe cum nun- A. C. 747.  
 cium fuisset allatum, Rachim Perusium <sup>Anast. in</sup>  
 obsidere, Zacharias ad eum se contulit, *Zach.*  
 tumque oblatis magnis donis, tum in-  
 stantissimis precibus obtinuit, ut obsi-  
 dionem solveret. Imo non hic stetit Re-  
 gis conversio, sed ex Pontificis colloquio  
 usque adeo rerum Cœlestium desiderio  
 accensus est, ut paucos post dies, depo-  
 sita Dignitate Regia, qua annis quinque  
 & dimidio fulserat ab obitu Luitprandi, *Chr. Cass. I.*  
 Romam veniens, & habitum Monasti- <sup>c. 8.</sup>  
 cum e manibus Zachariæ Papæ acci-  
 piens, Montem Cassinum petierit, ibique  
 usque ad mortem perseveraverit. (\*)  
 Etiamnum post annos trecentos monstra-  
 batur vinea ab hujus Regis nomine di-  
 cta, quam manibus suis plantasse & co-  
 luisse ferebatur. Regia uxor Tasia & fi-  
 lia ejus Ratrudis cum Rege mundum re-  
 linquentes haud procul inde Monaste-  
 rium Virginum in loco, qui Plumbario-  
 lis dicebatur, licentiam concedente Ab-  
 bate Petronace, condiderunt, ubi colla-  
 tis

(\*) Felix Sæculum Benedictinum, quo Mo-  
 nachorum Sanctitas, morum simplicitas & stri-  
 cissima Regulæ observatio non vulgaris modo  
 conditionis homines, sed etiam Maximos Princi-  
 pes & coronatos vertices ad hujus Instituti  
 amplexum invitabant?

Sæcul. VIII. tis multis possessionibus reliquos vice  
A. C. 747. dies sanctissime transegerunt. Rachis  
coronam dimisit anno 750. & Successo-  
rem habuit in Regno Longobardorum  
Aistulphum fratrem suum. Sub idem  
tempus Gisulfus Dux Beneventanus Re-  
gis Luitprandi nepos ad montem Cassi-  
num divertens, cum ei Monachorum  
piissima conversatio summopere placui-  
set, totum in circuitu territorium huic  
Monasterio donavit. Uxor quoque ejus,  
quæ Scauniperga vocabatur, Idolorum  
Templum in monte Cassino extructum,  
in Ecclesiam honori S. Petri dedicatam

A.D. SS. convertit, imagines, & quæ ad officium  
Ben. to. 3. p. Divinum celebrandum necessaria erant,  
697. intulit. Petronax Abbas e vivis abij-  
anno septingentesimo quinquagesimo  
postquam illi Monasterio annis triginta  
præfuisset. Is a tempore S. Benedicti  
Abbas sextus fuit, & Optatum Successo-  
rem habuit.

### §. LVIII.

*Epistolæ Zachariæ Papæ in Fran-  
ciam datæ.*

Pipinus missis Romam Presbytero Ar-  
dobano, consentientibus Episcopis,  
Abbatibus & Regni Proceribus, Zacha-  
riam Papam consuluerat de variis quæ-  
stionibus Disciplinam respicientibus, quæ  
ad tres summatim articulos, nimurum de  
Ordine